

ctorum remuneratio, quando mundis cordè sancto-
rum angelorum societas redditur, et ipsius Domini
plena æternæ societatis præsentia exhibetur. Hanc,
vos charissimi, sanctarum mulierum exemplo pro-
mereri poteritis, si sanctis corporibus, quæ a Deo
vobis commissa sunt, devote servientes, felicitatis
vestræ perseverantiam ad debitum usque fi-

nem perducere studueritis. Non erit inferior vestri
obsequii remuneratio, si in consimili servitute ob-
sequentium fuerit non impar devotio. Conferet beati
corporis beata servitus angelorum consortium, et
perducat obsequentes ad æternam visionem regis
cælorum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et
regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

RHYTHMI, PROSÆ, VERSUS ET HYMNI.

*Adversus calumniatores carminum sui Petri Picta-
viensis defensio, -cujus argumentum est :*

Egregius pro vate suo dux ipse perorans.
His jaculis rabidam confodit invidiam.

Audio, livor edax, te sacrum rodere carmen,
Verbaque divino carpere scripta stylo.

Sed scelerata licet tibi sit nequamque voluntas,

Commoda cunctorum quam tua damna putas;

Vix tamen id de te quisquam mihi credere suadet,

Nec quemquam tantum credo putare nefas,

Ut vitreum rivum puro de fonte manantem

Tentaris cæno turbificare tuo,

Sed quid erit? cogor veraci credere famæ,

Certis indiciis quæ sua dicta probat.

Ha! scelus, et stygio mens submergenda profundo,

Quæ vomit ex antro dira venena suo.

Manes tartarei talem compescite linguam,

Quæ demens potuit verba nefanda loqui.

Oris de barathro tractam per frustra secate,

De qua mox læciat flamma vorax cinerem.

Infandæ vocis fauces arctate meatus,

Et tumeat guttur, ne sonet illicita.

Audiri timeas, o vox indigna, sonare,

Consulo, deficias, teque silendo premas.

Humanas strepitus ne talis polluat aures,

Communes usus spiritus ipse nega.

Sed nunquid fieri tanti queo criminis ultor,

Cum mage districto iudice res egeat?

Aut fragili calamo crimen tentabo piare,

Ungula quod ferri radere vix poterit?

Nec mihi communis nocet hæc injuria tantum,

Sed magis egregios respicit illa viros.

Vos, o præcipui cultores philosophiæ,

Quos eadem propriis educat in laribus,

Ejus vos, inquam, pasti, potique papilla,

Quos proprio studiis imbuunt ore sacris;

Naso, Flaccæ, Maro, Stati, Lucane, Boeti,

Et quicumque tuum carmine comis opus.

Hujus livoris vos tangere mucro minatur,

Hic et de vestro cogitat exitio.

Vos etenim lædit, qui lædere non timet illum

Quem vobis socium Calliopea dedit.

Hunc inter reliquos æquali sorte locavit,

Impatiens ut sit cuilibet inferior.

Huic sacer ille chorus concessit sponte cathedram

Sublimem, medio dans residere loco.

Nec me mireris primis æquare sequentes,

Nil tempus meritis demere jure potest.

Nec senibus juvenes sibi displicet æquiparari :

Gloria namque patris filius est sapiens.

Hunc igitur juvenem senioribus æquiparamus,

Hunc quem musa facit patribus esse parem.

Nam nil splendoris, nil ponderis, aut rationis

Præfert plus isto lingua vetusta Patrum.

C Lux micat in verbis, gravis est sententia rebus,

Nec se dissociant aut decor, aut gravitas.

Laudibus extollit tollenda, premitque premeunda,

Nec reticenda loquens, nec recitanda tacens.

Flet cum flere decet, gaudet cum prospera poscunt,

Reddens officio congrua quæque suo.

Scribere sic didicit, ut pingere cuncta putetur

Non ars ulla sibi, non color ullus abest.

Verba quidem resonant, sed res magis esse videntur.

Pulchra velut vivum fingit imago virum.

Auribus hæc oculi rapiunt, audita videntur :

Nec nisi mirari quisque legendo potest.

Pennula multicolor varios miscendo colores

Æquor adumbratum mox rutilare facit,

D Omnia conveniunt assumptæ materiei,

Nec quisquam melius dicta loqui potuit,

Felix materies tanto sublimis honore,

Quam dignata fuit musa superna loqui.

Vilis eras, tenuis, languens, et tota jacebas :

Sed quod laudis habes aurea lingua dedit.

Nec tibi cujusquam lyra se præponere tentet :

Nam nunquam cecinit dulcius ulla melos.

Et quia nil melius in carmine cernitur ullo,

Hoc qui non recipit, cuncta simul perimit.

Quod vobis tutum remanebit in orbe poetæ,
 Si tam munito pellitur ille loco?
 Nec volo blandiri, par est fortuna duorum,
 Sive probando bonum, vel reprobando malum.
 Si bene dixistis, pariter dixistis uterque;
 Si male, culpa simul stringit utrumque reum.
 An sentire licet tantos errasse poetas,
 Quos mundi venerans multus amor sequitur?
 Sed non sunt isti, non sunt errasse putandi,
 Quod quicumque putat, desipit ille nimis.
 At si fas non est tales errasse putare,
 His errare parem dicere quis poterit?
 Sed video virus, quod adhuc sub pectore servas,
 Quod tibi jamdudum livide corda premit.
 Unde cave dirum tacitus tolerare gravamen,
 Ne tua rumpatur peste tumente cutis.
 Dic, rogo, dic et qua premeris celer evome pestem,
 Sic secreta tui pectoris allevians.
 Dic, dic, quid relices? an forte pudore teneris,
 Et metuis rursus verba nefanda loqui?
 Juste si metuis, favet isti quisque timori:
 Sitne tamen verum, quærit ab ore tuo.
 Mira refers, juvenis compegit carmina noster
 Plausibus immensis digna sui merito,
 Æmula nullius quæ possent esse nitoris,
 Turpis adulandi ni nota fuscet ea.
 Sed nihil in rerum ratione placet vitiosum,
 Hinc vitiosa mihi carmina nulla placent.
 Has revoca sordes, quas sordibus evomuisti:
 Neve fluant, forti guttura claude sera.
 Si secus, aut nimio cunctas fetore fugabis,
 Aut coges nares claudere quemque suas.
 Sed ne te verbis urgeri forte queraris,
 Accipe quod cupio dicere pace tua.
 Quid vitium dicas mihi clarius exprime, quæso,
 Quo vitiosa tibi musa placere nequit.
 Si quia laudavit, o quot tenet iste reatus!
 Quot, quantosque viros ista catena ligat?
 Cum quibus hæc merear felici sorte ligari,
 Qua mihi nulla dies gratior esse potest.
 Si memorem mundi sapientes, sive poetas,
 Qui plenos laudum composuere libros,
 Appones forsitan reprobam mihi religionem,
 Qua sola docti desipere viri.
 Ast ergo perfidiam reprobo, qua displicuere;
 Nec minus idcirco quod sapere probo.
 Namque perita manus sic uvam carpere novit
 Ut pariter spinam caute cavere sciat.
 Nunc tamen his tacitis, taceant ut murmura cuncta,
 Christicolæ tantum dinumerare placet.
 Quos magnos meritum, quos claros fama per orbem
 Fecit, et ad cœlos vita beata tulit.
 Hic nihil invenies, furor impie, quod reprehendas,
 Nil quod mordaci rodere dente queas.
 Horum te virtus, aut gratis cedere cogit,
 Aut si nolueris, tunc magis victus eris.
 Nunc igitur geminæ veniant in fronte columnæ
 Fulta quibus, casum non timet aula Dei.
 Hi sunt Hieronymus, Augustinusque beati

A Quos pro lege sequi lex jubet Ecclesiæ.
 Ille suam Paulam quantis ad sidera tollat
 Laudibus, egregio claret in eloquio.
 Cujus virtutes sic effert lingua diserta,
 Ut nil de meritis verba perire sinant.
 Hinc non post dirum laudes cantare sepulcrum
 Sat fuit, et læto solvere vota pio.
 Incolumem missis recreavit sæpe libellis,
 Non dubitans ipsam prodere laude sibi.
 In sanctis studiis est matrem nata secuta,
 Consimiles animos a genitrice trahens.
 Hanc quoque non tetra passus sub nube latere
 Curavit scriptis clarificare suis:
 Eustochium dico, quæ corporis inviolati
 Christo virginum præbuit hospitium.
 B Jam juvat Ecclesiam Paulam recitare frequenter,
 Nec minus Eustochium lectio sæpe sonat.
 Harum se laudes jurat non posse tacere,
 Nec timet inde cani duplicuisse meo:
 Quæ quia viventi præconia scripsit utrique,
 Livor eum mecum judicat esse reum.
 Sed certe talis laus est mihi magna, reatus
 Hoc quia cum socio censeor esse reus.
 Jam si laudatos placeat memorare viritum
 Non duo, sed populus confluet innumerus.
 Quos qui nosse cupit non ad mea carmina currat,
 Sed de fonte sacro larga fluentia libat.
 Hæc studiosus amans, armaria consulat illa,
 Quæ gravidum libris constat habere sinum:
 C Hieronymoque dehinc per multa volumina lecto,
 Omnis lecta mihi pagina testis erit.
 Post hunc indomitus accedat belligerator,
 Cujus sola terit millia multa manus:
 Qui vinci nunquam, qui semper vincere suetus
 Tela repugnantes abdere cogit humo.
 Augustinus hic est, quem nobis Africa misit
 Tertia pars orbis, re major, hinc potior.
 Partibus ista minor spatium est terra duabus,
 Ast Augustino vincit utramque suo:
 Quo nihil uberius Libycis increvit aristas,
 Qua valeas animæ fruge fugare famem.
 Clarior inde polus gemino nos sole serenat
 Sed novus antiquo clarius iste micat.
 Sic etenim tetras de mentibus effugat umbras,
 D Hic modo corporeas irradiat tenebras.
 Ambrosio laudes dum viveret iste dicavit,
 Quas studuit populis edere voce, stylo.
 Hieronymo multis blanditur epistola verbis
 Ipsius, utque Patri scribit uterque sibi.
 Nil laudum titulis detraxit, nilque reliquit
 Quod foret egregio gloria, lausque viro.
 Quid modo, si pariles notet ejus penna jugales
 Paulinum sanctum, Therasiamque suam?
 Nonne tuum feriet saxosa turbine murum
 Æmule, quo tua mox mœnia cuncta ruent,
 De quibus ut tutus prospectas eminus hostem,
 Et rides hilaris quas jacit ille minas?
 Hos natale solum pro Christo deseruisse,
 Hos cœlum terræ præposuisse probat.

Laudat eos, et opes, et fastum nobilitatis,
 Vinclaque conjugii post posuisse Deo.
 Narrat ab occiduo venientes cardine solis
 Hactenus ignotas arripuisse vias,
 Et sedes meruisse pias oriente propinquo,
 Proximus ut fieret transitus ad requiem,
 Auribus ipsorum laudes commisit eorum,
 Non sibi, non ipsis hinc aliquid metuens.
 Jam mea, si reliquos conetur penna notare,
 Quos nimium propriis extulit ille libris,
 Deficiet cum mente dies, cum tempore verba,
 Mole gravi pressum concidet ingenium.
 Jam nobis veniat cum primis annumerandus
 Alpius Ambrosius celsior Italicis.
 Non magis Eridanus terras vicinus inundat,
 Quando tumens pluviis unda superba furit,
 Quam Patris Ambrosii cœlestibus imbribus auctum
 Eloquii flumen arida corda rigat.
 De quo condignam si quis vult scribere laudem
 Sumat opus multi jure laboris egens.
 At mihi sufficiet, laudandi fasce relicta,
 Totius mecum laudis habere virum.
 Quem patet Augustis laudes misisse duobus,
 Regales animos alliciendo Deo.
 Ut rigidas mentes melius mulcendo doceret,
 Dura levi Christi subdere colla iugo,
 Mentibus ingenuis fertur natura dedisse
 Ut cupidæ laudum, quas meruere semel,
 Addere laudatis semper laudanda labores,
 Quo sibi perpetuus concilietur honos.
 Noverat hæc Cicero, nobis quoque scripta reliquit,
 Cui multam debet lingua Latina fidem.
 Cujus pauperiem sic ditat divite lingua,
 Ut jam sit nullum ditius eloquium.
 Publica res, inquit, proprio stat principe stante,
 Cujus et in casu labitur ipsa simul.
 Convenit idcirco causas removeere ruinæ
 Et stanti vires addere continuas.
 Ut stomacho mentis impensa laude relecto
 Principis esuriem gloria submoveat.
 Sicque fit ut nullum timeat respublica casum,
 Dum semper vires principis ipsa novat.
 Laudibus ergo piis reges vir sanctus alebat,
 Posset ut ipsorum pellere laude famem,
 Quo saturi pastu, mentisque vigore resumpto
 Jus regerent magni fortius imperii.
 Nunc, Cypriane, sequi proprios dignare sequaces,
 Tempore seu meritis es quibus anterior.
 Horum cœlestes illustrant lilia campos,
 Sed tua purpureis sunt sociata rosis.
 Jungeris his verbo, præcellis sanguine sacro,
 Quo melius solito Punica terra rubet.
 Quam tua multorum rubricavit lingua cruore,
 Quos monuit vitam perdere morte pia.
 Te duce bellatrix rursus Carthago superbit,
 Rursus et in Latium concutit arma solum.
 Nec velut Annibalis formidat tempore vinci,
 Sed securam manet principe fisa suo :
 Cum quo Romuleas sternens sine cæde catervas

A Cæsa triumphavit, Romaque succubuit.
 Quæ multo melius moriendo subjugat hostes,
 Dum vivit moriens, et moritur perimens.
 Hunc tua, Corneli, præconia, papa beate,
 Non piguit scriptis nobilitare suis.
 Hic studuit multos scribendo reddere claros,
 Quos fecit celebres gloria martyrii.
 Jam decus Arvernum, quam tot virtutibus ornas,
 Nobis Sidoni, sancte vocate, veni,
 Et referens laudes quas sanctis exhibuisti,
 More tibi solito perfida corda feri,
 Quæ nobis laudes audent grunnire negandas
 Quando virtutis exigit has meritum.
 Ergo Viennensem jam nunc modulare Mamertum,
 Quove docente pius servet ovile lupus.

B Præsul Lugdunum patiens qui rexit aquosam,
 Quanti sit meriti te referente patet.
 Sed neque Faustus abest abbas, eremita, sacerdos,
 Quem tua nequaquam, lingua latere sinit.
 Nec te præteream primis æquande poetis
 Fortunate, tuum quod probat ingenium.
 Gallorum populis te tellus Italia misit,
 Ut veterum caneres gesta poeta novus.
 Post veteres etiam libuit cantare modernos,
 Quorum de meritis tu tibi testis eras.
 Gregorium laudas Arverno germine clarum,
 Cui dat Martini celsa cathedra locum.
 Nec non Panthonici mores et templa Leontis,
 Quæ duo construxit compta decore pari.
 Nec numerare vacat tot quot tua pagina præfert ;
 Nam tempus prohibet, materisque premit.
 Hos tibi nosse sat est, qui carmen legeris istud,
 Quod laudare bonos optime cuique licet.
 Nam, si sunt digni, nec vivi laude carebunt,
 Ne dicam laudes nil nisi mortis opus.
 Unde nihil trepides vitam laudare bonorum :
 Qui bonus est, fiet laude tua melior,
 Hujus te culpæ merces, non pœna sequetur,
 Ornabitque tuum digna corona caput.
 Nunc qui stelligero nutu dominaris Olympo,
 Et mundi moles quem venerando colit,
 O tu post Christum majorum maxime Petre,
 Te si dignaris nunc mea musa vocat.
 Te Pauli laudes viventis non tacuisse

D Innumeri testes, et tua scripta probant.
 Ultimus adveniat, sed fortius omnibus hostem
 Paulus apostolico conterat imperio.
 Nullus eo melior, nec maximus ille Joannes,
 Quem gaudet meritis Petrus habere parem.
 Hic toti solus indicit prælia mundo,
 Et contra populos dimicat unus homo.
 Non metus hostilis, non vis, non vulnera mille,
 Nec cruor effusus hunc superare queunt.
 Sed victor proprio vincens cum principe mundum
 Invicti regis se docet esse ducem.
 Hac virtute meos hostes proturbat, et ipsos
 Ejus jacta manu spicula confodiunt.
 Nam quoties laudes ipsius epistola mittit,
 Ipsorum toties pectora dura ferit.

Romani, Galatæ, simul Ephesus atque Corinthus,
 Laudis apostolicæ promerere decus.
 Sed reliquos populos, quos laudibus extulit ille,
 Commemorare, nimis carmina longa vetant,
 Quæ loquor intenta meus audiat æmulus aure,
 Nec me tot frustra fundere verba putet.
 Si quia laudavit, reus est meus iste poeta,
 Omnem qui laudat par quoque culpa ligat.
 Quod quia nemo potest ulla ratione negare,
 Præmissos sanctos hinc patet esse reos.
 Quod si tot sanctos involverit iste reatus,
 Nullum credo latet quanta vorago patet.
 Nam, si quis justos turbæ miscere reorum
 Tentarit, fiet maximus ipse reus.
 Hoc vitare chaos si noster vis reprehensor,
 Quæ prohibere soles illa licere dabis.
 Nec jam censebis a laudibus esse silendum,
 Cum videas tantos non siluisse viros.
 Sed forsitan dices: Vult laudando placere,
 Hinc saltem reus est, hinc reprobandus erit.
 O scelus, et vere nimium damnabile crimen!
 Cui precor ut libeat jungere me sceleri.
 Tali si teneat justo sub iudice culpa,
 Præmia, non pœnas cognita causa dabit.
 Nam quis me damnet majorum scita sequentem,
 Quæ si non sequerer, carcere dignus eram?
 Paulus se dicit cunctis per cuncta placere,
 Utque placere queat, quemque studere monet.
 At nunc adverso contendere tramite cogor,
 Et reprobor si non devia quæque sequor.
 Sed mihi fas non est antiquo calle relicto
 Errorum sectas, et nova quæque sequi.
 Sunt igitur veteris Pauli mandata sequenda,
 Cumque novis pariter sunt reprobanda nova.
 Istis concessis, quæ non sunt jure neganda.
 Claruit esse bonum velle placere bonis.
 Restat adhuc aliquid quod possis dicere contra
 Livida segnities? exprime, si quid habes.
 Nil habeo, fateor, postquam duo solveris illa,
 Quæ certant animum sollicitando meum.
 Falsa tuum carmen multi cecinisse queruntur,
 Dum nimium laudes vult celebrare tuas:
 Ut non servatis modulis sit musica discors
 Dum studet excelsa tangere vere [voce] polos.
 Hinc, precor, ostende mihi carminis utilitatem,
 Qua sine nullius carmina sunt prætium.
 Nam quid pulchra valet foliis et floribus arbor,
 Ni mihi fecundo stipite poma ferat?
 Audivi fortem moveant quæ flamina turrim,
 Et quantum robur concutiant video.
 O! o quam firmis hæret radicibus ilex!
 Et quam structa manet firmiter illa domus,
 Quam non evellit Boreas, non destruit Eurus!
 Hanc tamen una volans vertere musca potest.
 Ut dicis, dubitas mea carmina vera fuisse:
 Accipe, nec post hæc ulterius dubites.
 Multa tamen nostram versat dubitatio mentem,
 Quo tibi nunc pacto quod petis insinuem.
 Nam tantis tenebris, tanta es caligine pressus,

A Ut lateant aciem sidera clara tuam.
 Hæc ut nube queas omnino videre remota,
 Tolle velamen quod tegit illa sine.
 Mos mundanus habet cunctis ut litibus ille
 Sit finis, quem fors iudicii dederit,
 Hinc simul ad justum properemus utrumque tri-
 [bunal,
 Nam nullus juri subdere colla pudor.
 Tunc ibi non poterit cujusquam causa perire,
 Sed sua cuique dabit judicialis apex.
 Quod si iudicio compellar dicta probare,
 Testibus indubiis assolet ut fieri,
 Mox me millenos videas producere testes,
 Hæc qui certatim vera fuisse probent.
 Quod si nos acri melius certare duello
 B Iudicibus libeat, ratio sat resonat
 Mox per plana ferum cernes fervere Martem
 Ipso sub pedibus jam trepidante solo.
 Hinc aut terribiles surgent ad bella quirites,
 Aut duros campus proferet hic pugiles.
 Utraque mox acies miscebit bellica tela,
 Unius ut jaculis hauriat una necem.
 Ut noster sociam miles demittat Averno,
 Aut cedat pugilis reddita clava tui.
 Ultimus iste solet causarum terminus esse,
 Et tuas sic finem jurgia percipiant.
 Esto quod quædam fuerint in carmine falsa:
 Non tamen hæc scribens carmina falsus erit,
 Nam potuit falli quæ scripsit vera putando,
 C Fallitur ut veri nescia mens hominum.

In laude Salvatoris rhythmus.

A Patre mittitur, in terris nascitur, Deus de Virgine.
 Humana patitur, docet et moritur libens pro homine.
 Per lignum vetitum sumpsit interitum nostra mor-
 [talitas.
 Ligni patibulo redditur sæculo amissa dignitas,
 Fructus comeditur, quo vita perditur, de mortis.
 [arbore.
 Sanguis effunditur, qui fide sumitur, de Christi
 [corpore.
 Draco perimitur, mundus redimitur, sanguinis
 [pretio.
 Huic mortem intulit, sed vitam contulit nobis hæc
 [potio.
 D Exsul a propria projectus patria, mundum incoluit:
 Qui tumens impia Deo superbia subesse noluit.
 Cujus periculis clemens a sæculis Deus condoluit,
 Propter quem Filium mortis supplicium subire vo-
 [luit.
 At ille proprio missus a solio, mox carnem induit:
 In qua dum ceditur et crucifigitur, nil Deo minuit,
 Nec diu distulit, sed statim contulit vitam de funere.
 Opus mirabile, cui nihil simile divino munere!
 Adam ejicitur, latro reducitur, mira mutatio.
 Tunc primum claruit quid mundo profuit auctoris
 [passio.
 Cruce deponitur, sepulcro conditur sumpta morta-
 [litas.

Inferni torrida fortis et splendida subdit divinitas.
 Æternas tenebras, et cæcas latebras fulgens irra-
 [diat.
 Sanctorum hominum cognoscens Dominum chorus
 [tripudiat.
 Remugit inferus, tremiscit cerberus auctor nequitiae,
 Atris in sedibus fulgere stupidus solem justitiæ.
 Dira repagula, vectes et pessula potenter conterit.
 Ingenti gloria, summa victoria superbum proterit.
 Tunc draco ferreum sensit aculeum, quem caro
 [texerat.
 Tunc primum deluit, tunc primum gemuit, quia
 [voraverat.
 Nil Deo fortius, nil sapientius, nunc tandem didicit,
 Dum vires viribus, et artes artibus devictas per-
 [spicit.
 Hic cito labitur, dum præceps graditur insana cæ-
 [citas.
 Sic cæcum currere, currentem ruere permisit deitas.
 Quem lapsum ignea retrusit cavea quo se demer-
 [serat,
 Nec mora miseros solvit innumeros, quos ille ce-
 [perat.
 Potenti dextera dirupit viscera vetusti carceris.
 Multum timuerant, quæ massam ceperant humani
 [generis.
 Scrutatur omnia regis victoria mortis latibula,
 Dissoluit fortia forti potentia reorum vincula.
 Hæc Christus spolia victor post prælia vexit ab in-
 [feris.
 Hæc adgaudentibus supernis civibus invexit superis.
 Peracto triduo vitam in mortuo reformans corpore
 Surgit continuo, nullo jam denuo passurus tem-
 [pore.
 Jonam glutiverat, sed non consumpserat marina
 [bellua;
 Quem ut trajiciens, ita rejiciens remansit vacua.
 Sic Christus gentibus, emergens fluctibus, salutem
 [prædicat.
 Tunc mundus timuit, timens pœnituit, et culpas
 [abdicat.
 Hinc formidantibus et desperantibus suis apparuit,
 Atque visibilem et contractabilem illis se præbuit.
 Sed admirantibus et non credentibus illis præ gaudio,
 Se vere vivere, se carnem gerere monstrat convivio,
 Agnoscunt protinus quod esset Dominus qui resur-
 [rexerat:
 Nec tardant credere quem cernunt vivere, sicut præ-
 [dixerat.
 Postquam sat luminis Creator hominis terris infude-
 [rat,
 Parat ascendere, secumque vehere quod inde sum-
 [pserat.
 Sed coram testibus ista fidelibus disponens agere,
 Sumit familiam, ducit Bethaniam hæc illi pandere
 Ut per discipulos virtus per populos tanti miraculi
 Vere claresceret, et sibi subderet tumorem sæculi.
 Ascendens igitur, in altum tollitur suis videntibus:
 Nube suscipitur, nec ultra cernitur ab assistentibus

A Fertur ad æthera, transcendit sidera, nostrumque
 [hominem
 Super angelicum, et totum cœlicum provexit ordi-
 [nem.
 Tunc moles gravior est facta levior, cum caro terrea
 Prius inferior, nunc est superior vi facta ignea.
 Gaude, mortalitas, redit æternitas, qua reparaberi s.
 Quidquid de funere soles metuere, jam ne timeri s.
 Dat certitudinem vitæ per hominem et Deum reddi ta,
 Quam in se pertulit, ac tibi contulit morte deposi ta.
 O nova dignitas! dat locum deitas humano pulveri.
 Nullum se præferet opus vel conferet huic tanto operi
 Limus calcabilis, nunc adorabilis super cœlestia,
 Summis virtutibus contremiscentibus gubernat om-
 [nia.
 B Quod in principio pravo consilio perverse voluit,
 Nunc per justitiam, non per superbiam, Adam obti-
 [nuit.
 Deus, dum timuit, esse non potuit, quod concupierat.
 Factus est humilis, fit Deo similis et cœlis imperat.
 Hic umbris horrida, hic flammis torrida sedes quem
 [habuit,
 Per Dei Filium paternum solium tenere meruit.
 Hortor ne lugeas, homo, sed gaudeas quem cœlis
 [intulit,
 Quem mirabilius, quemque sublimius in Deum ex-
 [tulit.
 Antiqui gemitus, cessate funditus, non est miseriæ
 Jam locus penitus; nam tempus cœlitus advenit gra-
 [tiæ.
 C Et vos, o superi, jam vestri numeri damna ne plangite,
 Sed novis sociis, expulsis impiis, gaudere discite.
 Magnum miraculum, magnum spiraculum tunc vo-
 [bis præbuit
 Deus, cum tegmine carnis pro homine tectus appa-
 [ruit
 Hunc novum ordinem, prælatum hominem summis
 [spiritibus
 Digne miramini, nec dedignamini benignis menti-
 [bus.
 Huic tamen canitis, huic genu flectitis vos in cœ-
 [lestibus,
 Qui carnem luteam, ut vestem trabeam, fert de ter-
 [restribus
 D Hinc requirentibus, cur tinctis vestibus de Bosra
 [venerit,
 Sermo propheticus semper veridicus, narrat quid di-
 [xerit,
 Uva dum premitur, vinum objicitur, et præli pondere
 Caro dum patitur, sanguis effunditur sub crucis
 [onere.
 Calcantis tingitur vestis dum tingitur vini rubedine.
 Quo Deus tegitur corpus inficitur, effuso sanguine.
 Hic rubor vestium signal supplicium quod sponte
 [pertulit,
 Quod tamen gloriam atque victoriam devincens
 [retulit.
 Quid ultra referam? Patris ad dexteram jam Chri-
 [stus residet,

Unde cœligenis atque terriginis ut Deus præsidet.
 Quid de discipulis? Assistunt oculis alta rimantibus
 Et ad insolitum stupent intuitum, suspensis men-
 [tibus
 Sublatum visibus, susceptum nubibus ducunt affe-
 [ctibus
 Spiritualibus, ipsis corporibus pene sequentibus.
 Tunc viri splendidi, vesteque candidi missi ab
 [æthere.
 Hæc contemplantibus et admirantibus cœperunt
 [dicere :
 O quid suspicitis? iste quem cernitis cœlos trans-
 [cendere,
 Descendet iterum cunctorum operum causas dis-
 [cernere,
 Sicut ascensio fiet regressio, quando iudicium,
 Commotis omnibus cœli virtutibus, erit mortalium.
 Illum, cum veniet, nubes suscipiet, sicut susceperat
 Quando videntibus et obstupentibus vobis ascenderat.
 Istud iudicium per Dei Filium tunc adimplebitur
 Cum a fidelibus et infidelibus iudex videbitur.
 Hic primum humilis et contemptibilis vobis apparuit,
 Cum sub velamine carnis de Virgine suscepto latuit.
 Sed tunc quæ fuerit et quæ latuerit omnipotentia,
 Monstrabunt iudicis nutum ac vindicis cuncta tre-
 [mentia.
 Tunc terror pessimus et horror maximus orbem con-
 [cutiet.
 Tunc quidquid firmitus atque stabilis erit diffugiet.
 Cœlum plicabitur, mare siccabitur, terra deficiet.
 Jam nihil seminis, nihilque graminis ultra parturiet.
 Ut unda labilis, nutat instabilis longæva firmitas.
 Ut cera solvitur, igne dissolvitur terræ soliditas.
 Tunc latex fontibus, cursus fluminibus prorsus ne-
 [gabitur :
 Et via navibus, volatus avibus tunc prohibebitur.
 Tunc decus nemorum, tunc fructus arborum, quæ-
 [que virentia
 Adustis floribus delectabilibus marcent arentia.
 Non aqua piscibus, non aer avibus tunc famulabitur.
 Sed nec mortalibus calcari pedibus tellus dignabi-
 [tur.
 Fragrabunt æthera, nigrescent sidera fugato lumine.
 Tunc nox perpetua, nox lucis vacua, dira caligine,
 Ventis et turbine multo jam ordine mundum operiet.
 Tunc hians puteus ille sulphureus os adaperiet,
 Et de flammigero profundens utero flammaram ma-
 [ria,
 Ima cum superis, summa cum inferis exuret spatia,
 Illud incendium sicut diluvium replebit omnia.
 Mundus damnabitur, Noe salvabitur tota familia.
 Tunc tuba cœlica, vox archangelica superne reso-
 [nans,
 Et cum clamoribus diris fragoribus horrendum per-
 [tonans,
 Clamabit populis qui sunt in tumultis : Omnes
 [consurgite;
 Junctis spiritibus suis corporibus vitam resumite.
 Et Christi solio justus cum impio simul assistite,

A Et quidquid gesserat quisque dum vixerat, modo
 [recipite.
 Hoc ab altissimo die novissimo vox ut sonuerit,
 Nullum comprimere quolibet aggere terra jam pote-
 [rit
 Quod ante latuit nunc tandem patuit, cum terræ vi-
 [scera,
 Quæ diu texerant atque cœlaverant, reddunt cada-
 [vera.
 Quod canis roserat, fera contriverat, vermis depa-
 [verat,
 Ignis assumpserat, aqua diluerat, aer disperserat,
 Ad statum pristinum redit per Dominum; qui sicut
 [facere
 Scivit per gratiam, sic per potentiam novit reficere,
 B Quæris cum pereat, unde post redeat carnis sub-
 [stantia?
 Est tota ratio cœlestis jussio sive potentia.
 Vide quid fuerit antequam fecerit cœlum et terrea,
 Unde substiterit, unde processerit moles corporea,
 Cum non existeret, unde quid faceret, creavit omnia,
 Nulla consilium, nulla subsidium dante materia;
 Qui sicut potuit, statim ut voluit hoc in principio,
 Mox ut voluerit confestim poterit hoc in iudicio :
 Tunc carnes ossibus et cutis carnibus superinduitur.
 Tunc quantitibus et qualitatibus corpus induitur,
 Et illa corpora per longa tempora quæ prius cœce-
 [rat,
 Dicto velocius, quo nil celerius, ut surgant imperat.
 Momento temporis humani corporis fit resurrectio.
 C In ictu oculi novi miraculi fit exhibitio.
 Tunc Deo proxime supernis animæ relictis sedibus
 Ubi sublimius, ubi splendidius nitent sideribus,
 Incorruptibile nec ultra fragili carnis huic vasculo.
 Tunc Satan teritus emittit spiritus de cæcis caveis,
 Quos prius ceperat, quos alligaverat catenis igneis,
 Non infelicium solvens supplicium, sed acta nequi-
 [ter,
 Ut cum corporibus et cum spiritibus luant dupli-
 [citer.
 Sic et æthereis, sic et tartareis exhaustis domibus,
 Sola mirabitur quando replebitur tellus hominibus
 Nam ex innumeris quos matrum uteris paulatim
 [fuderat,
 D Omnes insolito quoniam subito partu regenerat.
 O quam terribilis et formidabilis hæc dies irruet!
 Heu! heu! quam luridum! heu! heu! quam turbidum
 [tunc vultum induet!
 Hæc luctum regibus, hæc planctum gentibus dirum
 [incutiet,
 Cum præ doloribus mentis angoribus quisque defi-
 [ciet.
 Cœlis ardentibus, terris trementibus Judex adveniet
 Quem admirabilem atque terribilem orbis conspiciet
 Tunc cruce prævia, mortis insignia de cœlis afferet.
 Ea volentibus atque nolentibus terrenis inferet.
 Videbit populus et omnis oculus hunc admirabitur :
 Et qui crediderat, et qui deriserat hunc contempla-
 [bitur.

Judæe, respice, en Jesus, despice quem olim spre-
 [veras.
 En tibi cognitus, et quondam subditus homo, quem
 [videras,
 En cuncta temperat, en cœlis inperat quem blas-
 [phemaveras.
 Cunctorum pariter nunc sedet arbiter, quem cruci-
 [fixeras.
 Regem cœlestium atque terrestrium Jesum consi-
 [dera.
 Cujus imperium, cuius iudicium tremiscunt æthera,
 Credis adhuc Deum, cum sis jam per eum traden-
 [tus inferis :
 A quo jam flammea clauderis cavea conjunctus mi-
 [seris?
 Christe Deus meus, ad te clamo reus, quem spero **B**
 [iudicem :
 Ut tunc clementiam, non iram sentiam malorum
 [vindicem.
 Tunc cum in solio tanto iudicio parato sederis,
 Oves ad dexteram, hædos ad alteram partem po-
 [sueris :
 Tunc ovi ultimæ, tu pastor optime, locum ne de-
 [neges,
 Neque a gregibus illis felicibus me, quæso, segreges.
 Cluniacensium sis memor ovium in tanto turbine,
 Et ad perpetua duc eas pascua, benigne Domine.
 Tua vox ultima mergit in intima flammantis putei
 Satan cum perditis, in pastum traditis ignis sul-
 [phurei.
 Post hæc a patrium regressus solium decorem in-
 [dues,
 Atque Christicolas terrarum incolas cœlis restitues.
 Hoc quod promiseras, et diu texeras tunc revelabi-
 [tur.
 Quando sine fine summus ab homine Deus videbi-
 [tur, Amen.

De Resurrectione Domini rhythmus.

Mortis portis fortis vim intulit,
 Crucem ducem illius percudit
 Lumen clarum tenebrarum sedibus resplenduit,
 Dum salvare, recreare quod creavit voluit.
 Hinc Creator, ne peccator moreretur, moritur,
 Cujus morte nova sorte vita nobis oritur.
 Inde Satan victus gemit, unde victor nos redemit. **D**
 Illud illi fit lethale, quod est homini vitale,
 Qui dum captat, capitur; et dum mactat, moritur.
 Captis inferni carcere, solet qui nulli parcere.
 Sic decenter, sic potenter rex devincens inferos
 Linquens ima die prima rediit ad superos,
 Resurrexit, et revexit secum Deus hominem,
 Reparando quam creando dederat originem.
 Per auctoris passionem ad amissam regionem
 Primus redit nunc colonus, unde lætus fit hic sonus.

In honore Matris Domini prosa.

Voce jucunditatis alleluia, Veritas de terra
 Ota est, cum Christus de carne natus est.
 Nova sit in cœlis gloria, nova sint in terra gaudia,

A Auctor rerum creaturam miseratus perituram, af-
 [fuit,
 Atque dextram libertatis jam ab hoste captivæ
 [præbuit.
 Cœlum terræ fundit rorem, terra gignit Salvato-
 [rem.
 Chorus cantat angelorum, cum sit infans rex eo-
 [rum.
 Venter ille virginalis, Dei cella specialis fecundatur
 [spiritu.
 Et ut virga parit florem, sic et virgo Redemptorem
 [carnis tectum habitu.
 Alitur matris intactæ puer Deus sacro lacte, res stu-
 [penda sæculis.
 Esca vivit aliena, per quem cuncta manent plena
 [nullis par miraculis.
 Pastu carnis enutritur, vitam carni qui largitur.
 Matris habet gremium quem et Patris solium
 Virgo natum consolatur, et ut Deum veneratur
 Nobiscum Emmanuel, salutare Israel,
 Mens, et vox, et oculi, Christiani populi
 Te, Mater, suscipiunt, per te natum sitiunt
 Habere propitium, et tutum confugium.
 Ergo, mundi Domina, pia flecte lumina, dissolvendo
 [crimina.
 Fugetur nequitia, redeat justitia, Jesu Christi gra-
 [tia.

Item alia prosa.

Cœlum, gaude, terra, plaude, nemo mutus sit laude.
 Ad antiquam originem redit homo per Virginem.
 Virgo Deum est enixa, unde vetus perit rixa :
 Perit vetus discordia, succedit pax et gloria.
 Tunc de cœno surgit reus, cum in feno jacet Deus.
 Tunc vile celat stabulum cœlestis escæ pabulum.
 Nutrit Virgo Creatorem, ex se factum Redempto-
 [rem.
 Latet in pueritia divina sapientia.
 Lac stillant matris ubera, lac fundunt nati viscera,
 Dum gratiæ dulcedinem per assumptum dat homi-
 [nem.
 Ergo dulci melodia personemus, o Maria,
 Religiosis vocibus et clamosis affectibus.
 Salve, Virgo benedicta, quæ fugasti maledicta.
 Salve, mater Altissimi, Agni sponsa mitissimi.
 Tu serpentem evicisti, cuius caput contrivisti,
 Cum Deus ex te genitus ejus fuit interitus.
 Tu cœlorum imperatrix, tu terrarum reparatrix,
 Ad quam suspirant homines, quam nequam tre-
 [munt dæmones,
 Tu fenestra, porta, vellus, aula, domus, templum,
 [tellus,
 Virginitatis liliū, et rosa per martyrium :
 Hortus clausus, fons hortorum, sordes lavans pec-
 [catorum,
 Inquinatos purificans, et mortuos vivificans,
 Dominatrix angelorum, spes post Deum sæculo-
 [rum,
 Regis reclinatorium, et Deitatis solium.
 Stella fulgens orientis, umbras fugans occidentis,

Aurora solis prævia, et dies noctis nescia,
 Parens nostri tu Parentis, et genitrix nos gignentis.
 Piæ matris fiducia, natos Patri concilia.
 Ora, Mater, Deum natum, nostrum solvat ut reatum,
 Et post concessam veniam, det gratiam et gloriam.
 Amen.

In honore sanctæ Mariæ Magdalene hymnus.

Magdalene Mariæ meritis magna dies micat et cele-
 [bris.

Laudet in hac Mariæ Dominum angelicus chorus ac
 [hominum.

Carcere libera corporeo, splendido lumine sidereo
 Deserit exsili tenebras, atque domos adit æthereas.
 Christus eam sibi consociat, et Genitoris in arce
 [locat,

Spem miseris tribuens veniæ dum miserans dat eam
 [Mariæ.

Namque pedes Domini lacrymis laverat hæc lacry-
 [mando nimis :

His sua crimina cuncta lavans, vanaque gaudia
 [flendo pians,

Tergere crinibus hos meruit, nec minus ungere di-
 [gna fuit.

Oscula dat Domini pedibus, atque sibi veniam Do-
 [minus.

Ergo Maria precare Deum nostra precata ferens ad
 [eum,

Pondere quo scelerum gravidos exonerans levet ad
 [superos,

Annuat et precibus populi, obsequii memor ipse C
 [tui :

Gaudia cum superis tribuens, dansque bonum sine
 [sine manens.

Gloria, pie Christe, tibi spirituique Deoque Patri,
 Qui super astra levans Mariam, cœligenis facis hanc
 [sociam.

De sancto Patre Benedicto hymnus.

Inter æternas superum coronas,
 Quas sacro partas retinent agone,
 Emicas celsis meritis coruscus,

O Benedicte.

Sancta te compsit puerum senectus,
 Nil sibi de te rapuit voluptas :
 Aruit mundi tibi flos ad alta
 Mente levato.

Hinc fuga lapsus, patriam, parentes
 Deseris, fervens eremi colonus :
 Edomas carnem, subigisque Christo,
 Tortor acerbus.

Ne diu tutus latebras foveres,
 Signa te produnt operum piorum.
 Spargitur felix celeri per orbem
 Fama volatu.

Fracta restauras prece præpotenti,
 Frangis oblatum cruce mortis haustum :
 Currit ignarus monachus per undas,
 Patre jubente.

Verberas fratrem, fugit hostis atrox.

Ad manus ferrum redit e profundis
 Præcipis rupi, vomit illa rivos
 Arva rigantes.

Ales agrestis sibi jussa complet.
 Lora constricti pie visa solvis :
 Conspicis mundum radio sub uno,
 Raptus ad astra.

Mortuum vitæ revocas precando,
 Corda multorum pēnetras propheta
 Cernis ad cœlos animas levare
 Clarificatus.

Laudet exsultans Deitas creatrix,
 Te chori nostri jūbilus perennis :
 Quem poli jungas superis choreis,
 Quæsumus omnes. Amen.

*De translatione simul et illatione ejusdem Patris
 alius hymnus.*

Claris conjubila, Gallia, cantibus,
 Læteris Benedicti Patris ossibus :
 Felix quæ gremio condita proprio
 Servas membra celebria.

Miris Italiæ fulserat actibus,
 Gallos irradiat corpore mortuus :
 Signis ad tumulum crebrius emicat,
 Illustrans patriam novam.

Hinc vatū veterum facta resuscitat.
 Morti quod libuit mortuus imperat :
 Exstinctum propriis ossibus excitat.
 O quam mira potentia !

Navis per fluvium nat sine remige,
 Mirando glaciem desecat impetu,
 Sancti membra ferens obvia flumini,
 Undas retro reverberat.

Eductum fluvio sensit ut arida,
 Non curans gelidi frigora temporis,
 Vestit cuncta novis illico floribus
 Mutata facie soli.

Jam cœlo residens, o Pater optime,
 Divinis famulos imbue regulis :
 Angustum per iter scandere largiens,
 Dona regna perennia.

Cunctorum dominans omnipotentia,
 Quæ de sede poli conspicis omnia :
 Psallentum placide suscipe cantica,
 D. Votis, voce precantia. Amen.

De sancto Hugone, abbate Cluniacensi, rhythmus.

Hugo, pius Pater, clarus prosapia,
 Exstat præclarior virtutum gratia.
 Clausus adhuc latet matris in utero,
 Immolat hostiam sacer pro puero :

Index in calice magni miraculi
 Imago cernitur ipsius parvuli.
 Si quærat aliquis, quid inde sentiam,
 Præsignat hostia futura hostiam.

Hinc puer nascitur, et natus alitur,
 Ætatis ordine vires assequitur.
 Corporis viribus sat juvenilibus,
 Ardenti studio studet virtutibus :

Contemnit sæculum, et ejus gaudia
Cognoscens omnia cito labentia.

Mundo renuntiat, se Deo sociat.
Sic terram fugiens cœlis appropiat.

Divino postmodum afflatus Spiritu,
Mutato pectore mutatur habitu :
Intra Dominica manet ovilia
Christi cum ovibus ovis egregia.

Pastoris nutibus obedit sedula,
Nil horum præterit quæ jubet regula.
Forti conamine calcat superbiam,
In sapientia vincens malitiam.

Tulit justitiæ sanctam esuriem,
Beatam sequitur Christi pauperiem.
Processu temporis crescens virtutibus
Ipsis apparuit mirandus senibus.

Mundo jam mortuus, Christo se vivere
Sancto mortalibus demonstrat opere.
Hinc pastor moritur, ovis præficitur.
Pastoris strenue vices exsequitur.

Edocet subditos verbis et actibus,
Se donans specimen honorum omnibus.
Dirus ad scelera misericorditer
Utrumque temperans, sit æquus arbiter.

Ut prudens medicus perungit languida,
Quæ salus abjicit, præcidit putrida.
Non illum extulit sedes superior,
Qui mente permanet cunctis inferior.

Magister mitium, pater humilium,
Locat hunc humilem loco sublimium.
Ex dono Spiritus augetur sanctitas,
Legis perfectio, non deest charitas.

Aluntur pauperes mente promptissima,
Quæ dentur dat Deus manu largissima.
Vestitur nuditas Christi, vel pauperum,
Accrescit cumulus honorum operum.

Hic venerabile Cluniacensium
Plus priscais Patribus ditat cœnobium.
Illius studio crevit religio,
Trevit et numerus fratrum collegio.

Hanc domum Dominus rebus amplificat.
Sic quantum diligit Hugonem indicat,
Beatâ servitus tot parans redditus
Dum servit, imperat vir Deo subditus.

Non tantum studio contentus practico,
Intendit otio vitæ theoreticæ :
Marthæ sollicitus implet officium,
Audit cum Maria Christi colloquium.

Cum Lia filios Deo multiplicat,
Quos Dei cultibus devotus applicat.
Cum Rachel sterili, sed pulchra facie,
Subtili cœlica rimatur acie.

Jugi silentio jungitur lectio,
Nec deest lacrymis fervens oratio.
Sacrant frequentia hunc sacrificia,
Quæ dum sacrificat, ipse sit hostia.

Quæ addam amplius ejus operibus,
Cum hæc plus niteant cunctis sideribus?

A Nam ejus opera sunt velut sidera,
Quæ propter numerum manent innumera.

In epitaphio Eustachii comitis versus.

Principis Eustachii, quo Gallia floruit olim,
Exuviis præsens nobilitatur humus.
Istius arma viri tremuerunt Persica regna,
Et Babylon timuit, quæ timor orbis erat.
Æthiopum proprio rubuit nigredo cruore.

Quem fudit Christo dextera sacra ducis.
Pallet adhuc Oriens stupefactus cæde suorum,
Dum pavet occiduo rursus ab hoste premi.
Regia Hierusalem Christi veneranda trophæis,
Hoc duce captivum tollit ad astra caput.

Spem, Cluniace, suæ tibi credidisti iste salutis,
B Ut sibi placaret te mediante Deum.
Hæc spe longinquis veniens peregrinus ab oris,
Hic jacet et pro se supplicat ecce tibi.
Aurea crux, geminæ cellæ, piscesque marini
Clamant, quod nihil huic jure negare potes.
Hujus membris sicut tua claustra parasti,
Sic prece spiritui regna superna para.
Hæc quoque felici quæ contegis ossa sepulcro,
Post hoc hospitium redde suæ patriæ.

In epitaphio Bernardi prioris versus.

Egregius senior, cui nil juvenile cobæsit,
Bernardus prior, pausat humatus humo.
Hic post militiam cœlestia castra subintrans,
Consenuit certans hoc in agone diu.

C Iste sibi pro te nunquam, Cluniace, pepercit,
Hinc sibi nulla dies absque labore fuit.
Sic bene totius pondus tolerando diei,
Nummum promeritum sero reportat ovans.
Hujus, vos fratres, memores estote sepulti,
Nec cadat ex animo quæ tegat ossa solum.

In epitaphio Rainaldi archiepisc. Lugdun. versus.

Gloria pontificum jacet hic præsul Rainaldus,
Magnus in exiguo conditus hospicio.

Vizeliacensis prius abbas, post patriarcha
Lugduni fulsit, factus honoris honor.

Prædia, thesauri, fastigia celsa loquuntur,
Quo studio primo præfuit ille loco.

Lugdunensis apex junxisset cornua cœlo,

D Ni celer occasus subripuisset eum.
Cujus erat monachus, prope cujus ab ubere natus,
Accubat in gremio nunc, Cluniace, tuo :
Quem tibi commissum numero committe piorum
Cumque tuis precibus fac penetrare polum.

In epitaphio Petri Abælardi versus.

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, logicis quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior; studiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis et acer,
Omnia vi superans rationis, et arte loquendi,
Abælardus erat. Sed tunc magis omnia vicit,
Cum Cluniacensem monachum, moremque profes-

[sus,

Ad Christi veram transiit philosophiam,
In qua longævæ bene complens ultima vitæ,

A Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, undenas Maio renovante Kalendas.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

STATUTA CONGREGATIONIS CLUNIACENSIS.

(Luc. HOLSTENIUS *Codex Regularum* edit. R. P. Mariani Brockie, Augustæ Vindelicorum 1759, fol.)

OBSERVATIO CRITICA.

Inter sacri ordinis Benedictini propagines, primaria est Cluniacensis congregatio, quæ quidem toto orbe inclarescere cœpit, postquam S. Berno circa annum 910 monasterii Cluniacensis fundamenta jecerat, Wilhelmo, Æquitaniæ et Gothiæ seu Septimaniæ duce, agros et redditus in monachorum sustentationem liberaliter suppeditante. Erat autem hoc monasterium in agro Matisconensi situm, atque juxta Regulam S. Benedicti ordinatum, quam S. Berno ibidem arctissime observavit, initiumque reformando monastico statui dedit, quem ferreo hoc sæculo collapsum piissime restauravit.

At plenaria monasticæ disciplinæ reformatio videtur reservata S. Odoni olim S. Bernonis discipulo, at dein in abbatiam successori; qui, velut alter Esdras exstitit monasticæ legis reparatæ præcipuum columen et ornamentum, dum ad arctiorem Regulæ Benedictinæ observantiam non solum monachos sibi commissos adduxit, verum et plures ex vicinis monasteriis viros religiosos ad amplectendam noviter reparatam disciplinam attraxit. Tanta enim erat S. Odonis fama sanctitatis, tanta Cluniacensium monachorum vitæ integritas, ut anno jam 937, plus quam septemdecim monasteria sub Cluniacensis congregationis disciplina militaverint. Tot enim ad hunc annum numerat Mabillonius, in suis *Annal. Benedict.*, tom. II, lib. XLIII, pag. 436, asserens reges, episcopos, magnates certatim contendisse, ut ad morem Cluniacensium monachorum, vel nova cœnobia instituerentur, vel vetera corrigerentur.

Atque hoc modo sacer ordo Cluniacensis in tantum crevit, ut jam sæculo XII sub ejus disciplina militaverint duo fere millia monasteriorum in Europa, præter plura alia apud Orientales erecta, prout refert Calmetius in suo *Catalogo religiosorum ordinum*, ad calcem comment., in Regulam S. Benedicti. Interea, nec S. Berno, nec S. Odo, particularem regulam monasticam monachis suis præscripserunt, sed pro primaria vitæ norma, omnibus observandam Regulam S. Benedicti proposuerunt; ita ut Cluniacenses exstiterint veri monachi Benedictini.

Neque statuta a Cluniacensibus edita a Benedictina disciplina deviabant, sed in hoc omnino collimabant, ut sacra illa Regula ab omnibus arctissime observaretur. Hinc Beatus Willelmus abbas Hirsaugiensis reformationem monasteriorum Benedictinorum per Germaniam aggressus, circa annum 1112, horum Statutorum communicationem ab ipsis Cluniacensibus rogavit, quæ et suscepit, copiam insignem præbente S. Udalrico, nobili Bavaro, sed apud Cluniacum monacho Benedictino, sic enim designatur ab Acherio in suo *Spicilegio*, tom. I novæ edit., qui hæc statuta appellat antiquiores consuetudines Cluniacensis monasterii; quos, ob prolixitatem, hic referre supersedemus. Quæ quidem consuetudines, quoad minutiora præcepta, secundum varias locorum et temporum circumstantias, mutationibus subjectæ erant; prout Petrus Venerabilis abbas in *Præfatione ad renovata sua statuta Cluniacensia prænotare voluit*, quæ proin hic exhibemus, cæ *Bibliotheca Magna SS. Patrum*, edit. Lugd., tom. XXI desumpta.

Erat autem Petrus Mauritius ex nobili stemmate apud Arvernos natus, qui, sub juvenilibus annis militiam secutus, tandem sæculo renuntians, apud Cluniacum induit monachum, atque pietate et doctrina reliquos præcellens, anno 1123, abbas IX illius celeberrimæ congregationis eligitur, quam vitæ sanctitate et morum gravitate adeo suaviter gubernavit, ut adhuc inter mortales venerabilis abbas appellari meruerit et ad cœlites translatus fastis sanctorum inscriptus et ideo sanctus Mauritius nuncupatus sit. In condendis his statutis venerabilis abbas adhibuit totius capituli Cluniacensis consilium, et præfationem apologeticam pro quibusdam mutatis consuetudinibus antiquioribus præmittere voluit, imo cuilibet statuto causam et rationem ejus condendi subjecit. Quæ omnia sanctissimi abbatis prudentiam, pietatem et humilitatem manifestant, atque sequentia statuta piorum virorum lectionem merentur.